



# DE SARZA PARILIA.

**R**ADIX quædam nuper, tenuis, ac subcrocei coloris, ex India aduehitur, quam ego omnium Medici primus vidi. Erat autem non ab similibus liquiritiæ tenuissimæ, rugosa scilicet, (nam ea talis, cum siccat, euadit) & calore inter croceum & cireneum: sed gustus subamarus erat: odor vix sentitur. Vncia vna in l. b. ij. aquæ, colorem addit vini rubri turbidioris, odorem quasi grauem, amaritudinem non leuem, & summè prouocat sudorem. Partiu est tenuium crassarumque. Amaritudo in terreo constat. Calida in fine primi ordinis, sicca in secundo. Epota cum tenui victu, scilicet, pane bis cocto, atque passulis, per dies 40. Gallicam luem plus iuuat quam Cina, aut lignum quod sanctum vocatur. Expedit autem vt sic etiam opituletur his qui arthritide laborant, & vlcibus prauis, & his qui ob pituitosum humorem laborant œdematibus, aut morbis trans hepar. In obstructionibus autem concauæ partis iecoris, & ventriculi mala coctione, non auderem hoc tentare, nisi forsitan victus tenuitas nos à periculo tutos redderet. Quod etiam iecur confirmet, quodque lienem extenuet, quod incipientem elephantiasim curare possit, & hoc verisimile est. Dantur decocti vnciæ sex in singulos dies summo manè, id est, horâ diei secundâ; tantundem horis ante cœnam tribus, tum cum cibo quantum volet. Permittitur autem sudare contactus pannis ab assumpto potu: verum vt sudauerit, liberior est quam in assumptione Indici ligni: neque enim prohibetur, quin in solita prædeat exercitia, nisi frigoris metu, vnde contactus pannis esse debet, & vitare infausta tempora pluuiarum, ventorum, & frigo-

ris. Meminerit eius quod scripsit Hippocrates: Vbi fames, laborandum non est: atque similiter cauendum, vt inquit Gelenus, à sectione venæ: sic & à Venereis, ac curis nimis: singulis tamen decem diebus purgate conueniet corpus, cum catapotis quæ lectos humores & crassas feces expellere possint: quales ex Aloes colocynthida & Elleboro componuntur. Alij præbent siliquam Indam cum diacatholice, quod vt minus vtile est, ita magis tutum. Habet autem præcellentem inter sui generis medicamenta vim hæc radix, in emendandis capitis ac cerebri vitiis: seu ob tenuitatem, seu ob proprietatem quandam. Et quanquam hæc ita sint, candide lector, non tamen tantæ victus tenuitati seorsum præsertim purgationibus frequenter adhibitis, parum ad curandos consimiles morbos tribuerem. Quo fit, vt Gallicam hanc pestem inter frigidos affectus collocauerim. Sic humana solertia in dies inuenit quod iam inuentis meritò præponi possit. Vidimus in claro viro Martino Chiaues Hispano post modicæ quantitatis haustum (nam in eo periculum primò fecimus) crassam atque sanguineam materiam à naribus descendentem: ita vt propter os quod intermedium est miraremur, quanquam vlcera aliunde vsque ad os penetrantia, à descensu diuerterent. Constat autem Indicas res majori præditas esse virtute, etiam pro qualitatium ratione. Sed de hoc à nobis in libello de Subtilitate dictum est. Nunc autem quoniam ita sit, solum intellexisse sufficiat. Quodque generaliter peregrina medicamenta plus agant: aër autem, atque cibi, ac potus patrij, ad vitæ vsum magis conducunt.

## DE OXYMELITIS VSV IN PLEVRITIDE.

AD THADDÆVM DVNVM MEDICVM  
EPISTOLA.

**Q**UOD ad me de literis tuis datis ante Calendas Maias scribis, amice charissime, nihil est quod dubites. Si enim perlata fuissent, protinus respondissem. A discessu tuo enim literas nullas abs te accepi, vna duntaxat epistola excepta,

quam primis diebus miseris. Neque aliud continebatur quam quod Assij esses. Id mihi satis esse putavi, scire vbi esses, quandoquidem & tu certò nosse vbi essem. Iam verò de lite quam habes cum illo empirico primum nihil miror, nam tu de re probabili